Fragmentarium

deuenerat potare cum uenerit. ui-
tique illi gedeonis qui pro auidita-
te toto corpore prostrato de flumi-
ne biberunt. digni ad prelium ue-
non fuerunt. Jam uero de labo-
re manuum quid gloriamini cum
et martha laborans increpata
et maria quiescens laudata sit.
et paulus aperte dicat. labor
corporis ad modicum ualet. pie-
tas autem ad omnia. Optimus labor
de quo propheta dicebat. Laboraui in
gemitu meo. et de quo alibi. Me-
mor fui dei et delectatus sum et
exercitatus sum. Ac ne corpora-
le intelligas exercitium. et defecit
inquit spiritus meus. Unde autem non
corpus sed spiritus fatigatur. spiritualis pro-
cul dubio labor intelligitur. Quid
ergo inquis. Siccine illa spirituali-
a persuades. ut etiam hec que ex
regula habemus corporalia damp-
nes. Nequaquam. Sed illa oportet
agere. et ista non omittere. Alioquin
cum aut ista omitti necesse est aut
illa. illa potius omittenda sunt
quam illa. Quanto enim spiritus corpore

corporalis exercitatio fructuosior.
Tu ergo cum de horum obseruatione
elatus. aliis eadem non obseruantibus
derogas. nonne te magis transgres-
sorem regule iudicas. cuius licet
minima quedam tenens. meliora
deseris. De quibus paulus. Emula-
mini autem carismata meliora. Detra-
hendo quippe fratribus in quo temet
ipsum extollis. perdis humilitatem. in
quo alios deprimis caritatem. que
sunt procul dubio carismata me-
liora. Tu itaque corpus multis nimiis-
que laboribus atteris. ac regularibus
asperitatibus mortificas membra tu-
a que sunt super terram. bene facis.
Sed quid si ille quem similiter non
laborantem diiudicas modicum quod
habeat de hac que ad modicum utilis
est. corporali uidelicet exercitatio-
ne. amplius autem quam tu de illa
que ad omnia ualet. id est pietate.
Quis queso uestrum regulam melius te-
net. An non melius qui melior. Quis
uero melior. humilior an fatiga-
tior. An non is qui a domino didi-
cit mitis esse et humilis corde. que

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1474, f. [1]r – Bernardus Claraevallensis, <i>Apologia ad Guillelmum Sancti Theoderici abbatem</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-a415/7333/59060)